



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Andreas Ap. 30. Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

30. Nov. VITÆ SANCTORUM. 749.
vitam, in opem præcipuè D. Martinum
vocans, qui morienti adfuisse non vanis
argumentis creditur. Illud indubium,
ad decumbentem virginum Reginam SS.
hinc Theclâ, illinc Agnete stipatam ve-
nisse, eam ob causam, uti ipsa aiebat,
quòd in precibus suis *Radbodus* num-
quam non memor *Virginis* fuisset. Et ve-
rò quî matris oblivisci filius posset? certè
oblivisci filiorum mater hæc non potest.

Ex Suario.

*Iustitia per se sibi abundat ad gloriã :
spectaculum populi, vulgi laudes, favores
hominum, mundi gloriã non requirit : à
Deo genita cælum spectat, in oculis agit
divinis, supernis virtutibus mixta, sem-
per à Deo solo, ut glorificetur, expectat.*
S. Petr. Chryl. serm. 9.

S. ANDREAS AP. 30. Novembris.

ANDREAM, quo D. Petrus germano
gaudebat, tradunt omnium primum
Christi scholæ nomen dedisse; arcano-
rum magistri inter paucos omnium con-
scium, quàm hauserat doctrinam, ab
ejus morte Scythiæ primò, mox Epiro
& Thraciæ, tum Achaïæ etiam intulif-
se; hic contra Procos. Ægeam, crucis
acerrimum inimicum, fortiter rem gef-
fisse; ab hoc ad impia sacrificia invitatum
id respondisse: nobilius sibi sacrificium,
idque quotidianum esse & incruen-
tum;

750 VITÆ SANCTORUM. 30 Nov.
tum; Agnum illum omnis maculæ ex-
pertem, & qui, postquam ejus carne
sanguineque omnes Christiani vixissent,
non minus tamen etiam ipse integer vi-
veret; sub hæc in vincula coniectum esse,
eximendum facile, nisi manus ipse
Christianis, precibus suis, vinxisset;
Protractum inde, ne supra magistrum
primus etiam discipulus esset, virgis cæ-
sum, ad crucem raptatum esse: hanc
procul conspectam amicissime salutasse,
ad hanc velut ad exoptatam vitæ meram
properasse, hanc velut expetitam senio
suo scipionem amplexatum esse, velut
nobilissimum suggestum cupidissime
conscendisse, ab eâ duos dies toridemque
noctes ab ejus ore hominum millia xx.
pependisse; quorum accursu cum ter-
ritus Procos. detrahere eum de cruce
cogitaret, ANDREAM, id ne fieret,
magnopere Deum esse precatum, ac
proinde inter multum, qui precantem
cinxerat, splendorem, è cruce ad cælum,
Ægeam verò à malo dæmone, obtorto
collo, ad pessimam crucem in orbem
abiisse: ex tumultu denique ejus oleum
stillasse, & hoc uno dolorem suum Chri-
stianos leniisse. Ex Baron.

*Felix anima, quæ in cruce gloriatur &
triumphat: tantum ut perseveret in eâ, &
nullis valeat tentationibus dejici. Ort
igitur quisquis in cruce est, cum B. An-
dræa Dominum & magistrum suum, ne*

pa-

30. Nov. VITÆ SANCTORUM. 751
patiatur eum de cruce deponi. S. Bern.
serm. 2. de S. Andr.

S. IOSCIO CONF.
30. Novembris.

UT nullo non tempore suam VIRGI-
NI nectere corollam possis, Maria-
ne, ecce tibi rosas in hieme etiam sugge-
rimus. Cape sis, & hortum ex quo illæ
veniunt, nobiscum mirare. Vixit an-
no post partum virgineum M. C. LXIII.
apud Audomarenses IOSCIUS mona-
chus, & MARIA unicus amator. Amo-
ris alia argumenta taceo, unum prodo,
quod prius cælum prodidit. Igitur, ut
numquam animo dulce illud nomen
MARIA excideret, quinque quotidie
sibi dicendos Psalmos delegit, quibus
initium optimi ominis literæ ex eodem
sacro sancto nomine dederunt, *Magnifi-
cat. Ad Dominum cum tribulaver. Retri-
bue seruo tuo. In convertendo. Ad te leva-
vi.* Quoties igitur hos decurrebat, MA-
RIAM oculi legebant, aures bibebant,
lingua sonabat, cor suspirabat. Et vide sis
quam hoc studium Maria probaverit.
Moritur IOSCIUS in pervigilio S. An-
dræ, & ecce geminæ & purpurâ tinctæ
rosæ ex oculis, totidem ex auribus, ex
ore denique una pullulat, singulæque
literas suas, omnes MARIA nomen
lo-